





- 1 Joh. Franc. Buddei Dissertatio de colloquijs charitativis. 1719
- 2 Mich. Foersterius, de efficacia meriti christi 1723
- 3 Volc. Km. Cour. poppo de natura animae. 1719
- 4 Christ. Chemnitz certamen Michaelis cum Diabolo 1683
- 5 Joh. Adam Schmidij collatio adami 1 et 11. Celsis omni iniquitate 1701
- 6 Joh. Georg. pretius de renatorum experientia spirituali. 1723.
- 7 Seb. Schmidius de Clavis Ecclesie 1667
- 8 eundem, de phrasi, iadurare, excecere, seducere si. 1715.
- 9 Gottfr. Olearius de gestis pauli. 1706

Christ. Chemnitz  
1719

1719



ORDINIS THEOLOGICI IN ACADEMIA  
IENENSI DECANVS  
**IOAN. FRANCISCVS BVDDEVS**  
THEOL. D. ET P. P. O.

AD  
LECTIONES CURSORIAS, QVAS VOCANT,  
ET DISPUTATIONEM INAUGURALEM  
*MAXIME REVERENDI, AMPLISSIMI ATQVE  
EXCELLENTISSIMI*

VIRI  
**IO. ANDREAE DANZII,**

SS. THEOL. IN HAC ACADEMIA EXTRAORDINARIJ,  
ET LINGVARVM ORIENTALIVM ORDINARIJ  
PROFESSORIS, LONGE CELEBERRIMI, FACVL-  
TATISQVE PHILOSOPHICAE SENIORIS GRA-  
VISSIMI

THEOLOGIAE, BONARVMQVE ARTIVM PATRONOS  
ATQVE CVLTORES  
EA, QVA DECET, OBSERVANTIA ATQVE HVMANITATE  
INVITAT.

---

I E N A E

LITTERIS IO. ADOLPH. MYLLERI.



78

OPERA THEATRICALIA

LIBER PRIMUS

ACTUS PRIMUS

SCENA PRIMA

SCENA SECUNDA

SCENA TERTIA

SCENA QUARTA

SCENA QUINTA

SCENA SEXTA

SCENA SEPTIMA

SCENA OCTAVA

SCENA NONA

SCENA DECIMA

SCENA UNDICESIMA

SCENA DODECIMA

SCENA TRIGESIMA

SCENA TRIGESIMA PRIMA

SCENA TRIGESIMA SECUNDA

SCENA TRIGESIMA TERTIA

SCENA TRIGESIMA QUARTA

SCENA TRIGESIMA QUINTA

SCENA TRIGESIMA SEXTA

SCENA TRIGESIMA SEPTIMA

SCENA TRIGESIMA OCTAVA

SCENA TRIGESIMA NONA

SCENA TRIGESIMA DECIMA

SCENA TRIGESIMA UNDICESIMA

SCENA TRIGESIMA DODECIMA

SCENA TRIGESIMA TRIGESIMA

SCENA TRIGESIMA TRIGESIMA

SCENA TRIGESIMA TRIGESIMA


SCENA TRIGESIMA TRIGESIMA

SCENA TRIGESIMA TRIGESIMA

SCENA TRIGESIMA TRIGESIMA







I vlla gens inter omnes , quae orbem vniuersum incolunt , suam & dignitatem & antiquitatem , egregius tueri potest monumentis ; Ebraea profecto , ita reliquis omnibus praestat , vt quae cum ea comparari queat , inueniatur terrarum nullibi , multo minus , quae debeat anteferri . Originem habuit ab hominibus sanctissimis , quos pietas & sapientia a reliquis longe secernebat mortalibus : quorum etiam ob recte & praecclare facta , per tot saeculorum interualla , rite ad nos propagata est memoria , cum reliquos , qui aut eodem , aut proxime insequentibus vixere temporibus , densa nox & atra premat caligo ; monumentis , ex quibus illorum hauriri notitia poterat , aut deficientibus plane , aut incerta , dubia , obscura , tradentibus . Ethnicis vtique scriptoribus perspecta minus fuere , quae nobis sunt explorata ; vnde qui alias sapientiae & industriae laude florent , se ipsos tradunt

a

cunt



cunt turpissime, cum de Iudaicae gentis origine verba faciunt.

Qui prae reliquis sibi sapere videtur CORNELIUS TACITUS \*, adeo fluctuat, titubatque, cum in Iudaicae gentis originem inquit, ut, ubi pedem figat, vix inueniat. Iis profecto, quae de Cretica illorum profapia, ac si ab Ida incluto in Creta monte, Iudaei dicti sint, deque ducibus illorum Iuda & Hierosolymo, ut & de Aethiopico eorum ortu refert, ipse non adhibet fidem, adeo illepidi sunt, & omni veri specie destituuntur. HOMERUS, nobilissimus apud Graecos vates, cui antiquitas magnam sapientiae laudem conciliauit, SOLTMOs populos commemorat, & Σολύμων ἱερόν στρατόν, *Solymorum sacrum exercitum* vocat; \*\* quod nonnullos de Iudaeis intellexisse, nesciremus, nisi hoc nos condocuisset TACITUS. Id mirum videri poterat, nisi nostra aetate, Ebraeorum historiam, Ebraicis nominibus ac sententiis ab HOMERO in Odyssæa & Iliade descriptam, primo quidem sibi, deinde & aliis, persuadere conatus fuisset GERARDUS CROESIVS, \*\*\* vir alias non indoctus.

Hic

---

\* *Histor. lib. V. cap. II.* \*\* *Iliad. Z. vers. 194.* \*\*\* prodiit eius *ἑβραϊκὸς ἱστορίας* siue *historia Hebraeorum* ab Homero hebraicis nominibus & sententiis descripta in *Odyssæa* & *Iliade*, Dordraci, anno MDCCIV. 8.



Hic Mesopotamiam in Ithaca Vlyffis patria : in eiusdem cognatis, totam patriarcharum gentem ; Abrahami porro, Lothi, Ifaaci fata, & reliqua quae de Ebraeae gentis conditoribus narrat diuinus scriptor, MOSES, in HOMERO tam perspicue & aperte sibi inuenisse visus est, vt mentem poetae non assequi existimet, qui aliter eum capiunt. Fatum HOMERI singulare hoc fuisse credo, vt in iis, quae illi nunquam in mentem venerunt, illi affingendis, velut certamine quodam inito, inter se contenderent, veteres & recentiores.

Ad TACITVM vt reuertamur, quam ipse adprobare maxime videtur sententiam, non alia inductus ratione, quam quod recepta fere inter gentiles esset, fuisse Ebraeos hominum colluuiem, scabie, lepra, & impetigine infectam, quae a Rege BOCHORI expulsa Syriae partem occupauerit, cum summa Ebraeae gentis iniuria coniuncta, IUSTINO tamen, TROGI POMPEII Epitomasti, HELLADIO, ceterisque, est adprobata. Vera mixta falsis tradiderunt, qui Iudaeos Assyrios perhibuere esse conuenas, indigumque agrorum populum, patre Aegypti potitos, ac mox proprias vrbes Ebraeasque terras, & propiora Syriae coluisse. In eo namque non fallebantur, vixisse aliquamdiu in Aegypto Ebraeos : quod alios in no-



num errorem induxit, vt origine ac gente eos Aegyptios esse crederent : cumque veram rerum gestarum nescirent seriem, quibusue inducta causis Aegyptum reliquerit Iacobi progenies, terram patribus iam pridem a supremo omnium rerum moderatore promissam, occupatura, absone quaeuis profanorum hominum, ad quiduis comminiscendum prona, excogitauit libido. Id vero, vt ethnicis tandem scriptoribus, STRABONI\*, DIODORO SICULO,\*\* aliisque, Aegyptios genere & origine, Iudaeos fuisse contendentibus, condonamus, quanquam ab omni aut ignauiae aut malignitatis suspicione, liberari nequeant : ita nostra aetate reperiri homines, qui nescio maiori impietate, an impudentia, inficeta ista gentilium commenta, ad euertendam & labefactandam diuinarum litterarum fidem & auctoritatem, incrustare non erubere, supra omnem fidem esset, nisi publica nos hoc illorum condocerent monumenta.

Id namque egit haud ita pridem IOANNES TOLANDVS\*\*\*, magno conatu, vt omnes quot  
quot

---

\* lib. XVI. *geograph.* pag. 760. \*\* lib. I. *bibliothec. histor. cap. XXVIII.* \*\*\* in *origimb. Iudaicis, sive Strabonis de Mose & religione Iudaica, historia, breuiter illustrata, quae cum altera eius, sed non melioris commatis, dissertatione, cui titulus: Aesidaemon sive Titus Linius a superstitione vindicatus, prodit Hagae Comitum, anno MDCCVII. 8.*



quod vnquam orbis tulit, impietatis magistros, vt  
 audacia, ita impudentia, vinceret. Vnius STRABO-  
 nis aut alterius cuiusuis e numero gentilium scri-  
 ptoris, maior illi potiorque est auctoritas, quam  
 Mosi, scriptorumque sacrorum omnium. Moses  
 vir diuinus eodem illi loco est, quo Minos, Ly-  
 curgus, Zamolxes, & id genus homines callidi,  
 qui commentis suis politicis, legibusque, hone-  
 statis, vtilitatisque publicae speciem prae se feren-  
 tibus, id egerunt, vt auctoritatem sibi concilia-  
 rent, firmarentque imperium, & religione, ceu  
 dominandi vterentur instrumento, ad continen-  
 dam in fide & obsequio plebem. Immo, quod  
 stupendum prorsus, diuinum scriptorem, nefan-  
 do & inaudito scelere, in Pantheistarum, quos re-  
 centior aetas Spinozistas dixerit, classem haud ob-  
 scure refert, praesidium impietatis in ipso nomine  
 sanctissimo IEHOVAH, quo necessaria saltem exi-  
 stentia, vel illud, quidquid sit, quod per se existit,  
 emphatice significetur, quaerens. Ex aliorum  
 enim haec ita profert mente TOLANDVS, vt suam  
 aperte prodat sententiam. Hoc scilicet vnicum  
 ad summam impietatem supererat, vt in criminis  
 & stultitiae consortium, aut impudentissimo, sed  
 longe quoque infelicissimo, supinam istius ho-  
 minis ignorantiam prodente, traherentur Scripto-  
 res



❧ ( o ) ❧


res sacri ipsi, quorum armis, quae nobis suppedi-  
tant, omnis profligari penitusque destrui potest  
impietas. Atque ista tanquam in transitu, & aliud  
velut agens, tradit, cum constitutum praecipue  
illi sit, in Ebraeae gentis originibus explicandis,  
STRABONIS potius auctoritatem sequi, quam ad-  
hibere fidem iis, quae in sacris dicuntur litteris.  
Summa eo redit; Ebraeos origine fuisse Aegy-  
ptios, quibus alii infimae sortis homines fuerint  
admixti: orto autem in Aegypto seruili bello,  
hanc variorum hominum colluuiem, insurrexisse  
contra superiores, & ductore Mose, qui ante Sa-  
cerdos Aegyptius fuerat, excusso iugo, manu ar-  
mata ex Aegypto egressam, Palaestinam deinceps  
occupasse.

Videamus, quam egregie istam de Iu-  
daeorum origine sententiam demonstrat, ut vel  
hoc specimine intelligatur, quam lubrico & infirmo  
nitantur fundamento reliquae impii hominis nu-  
gae, quas aliis proscribendas profligandasque, si  
modo hoc merentur, relinquimus. \* Aegyptios  
ortu esse Iudaeos, ad confirmandam STRABONIS,  
aliorumque gentilium traditionem, comprobari  
posse

---

\* Id iam cordate & erudite praestitit IACOBVS FAYVS,  
in defensione religionis, nec non Mosis, & gentis Iudaicae,  
contra duas dissertationis Io. Tolandii, &c. Ultraiecti edita,  
anno MD CCIX. 8uo.





posse putat TOLANDVS, ex gentis vtriusque & regionis vicinia : exemplo item Mosis, qui in Madian profugus, pro Aegypto statim habitus sit; ex priuilegiis, quibus Aegyptii prae aliis gentibus apud Iudaeos gaudebant; ex idolis porro Aegyptiorum, quae Iudaei coluerint, & denique ex ordine & modo, quo ex Aegypto excefferint. Haec sunt ista tela, quibus defendere gentilium commenta, & euertere diuinarum litterarum fidem, veritatemque, tot aliorum quoque scriptorum consensu firmatam, labefactare, annuitur. Vicini, inquit, fuere, Iudaei & Aegyptii: ergo ab his illi prognati. En! acumen! Vicini etiam fuere Amalekitae, Ammonitae, Sidonii, aliique: ergo ab his Iudaei, aut hi ab illis? Vicini sunt Turcae & Hungari: ergo hi ab illis, aut illi ab his prognati? At Moses tamen, pro Aegypto habitus, cum profugus abiret in terram Madian. Ergone statim etiam fuit? Si Tolandus ex Belgio in Germaniam veniens, pro Belgae haberetur, aliusque inferret inde, eum non esse Anglum: num recte eiusmodi hominem subducere rationes, existimares? Accedit, quod in Aegypto natus, educatusque & a parentibus in Aegypto degentibus in lucem editus esset Moses: vnde haberi equidem pro Aegypto poterat, vt tamen inde minime sit colligendum,

b

dum,



dum, maiores ex quibus prognatus erat, aliunde in Aegyptum venire non potuisse. Meliori loco Aegyptios in gente Israelitica habitos, quam alios populos non circumcisos, facultatemque liberis eorum post tertiam generationem in congregationem DOMINI intrandi, a Mose concessam, non abnuimus: quippe quod constat ex *Dent. XXIII. 7. 8.* Nec tamen ista facultas intrandi in congregationem Domini, statim de iure ciuitatis interpretanda, quod facit TOLANDVS, audacter quicquid sibi in mentem venit dicens, de probandis, quae asseruerat, parum sollicitus. Neque soli Aegyptii praecipuo quodam prae aliis gentibus iure gausi sunt, cum de Idumaeis idem sancitum decretumque, legamus. Sed si largiamur etiam homini huic, quae gratis sibi sumit: nec id tamen quod vult, vlla inde obtinebit ratione. Quid enim? Privilegiis quibusdam, prae aliis populis, in gente Israelitica gausi sunt Aegyptii: ab his itaque prognati sunt Iudaei? scilicet. Plane ac si non alia ratio inducere Israelitas potuisset, vt Aegyptios pariter ac Idumacos, meliori loco haberent, quam alias gentes. Nec causam nos ignorare finit Moses, cur hisce gentibus prae aliis praerogatiuam quandam in populo Israelitico concesserit Deus, quod Idumaei cognationis vinculo cum Israelitis

es-



essent coniuncti, Aegyptii autem aliquando hospites & domini fuissent Israelitarum: unde ut gratum erga hos, pium erga illos demonstrarent animum, utique par erat. Sed idola tamen inquit, Aegyptiorum, coluerunt Israelitae. Vellem indicasset, quaenam? Num Apin, an Seraphin, an Ifiden, aut Osiriden, aut aliud aliquod? Non equidem abnuimus, idololatrio cultu infectos fuisse, qui in Aegypto commorabantur Israelitas: uti nec illud, reliquias quasdam Aegyptiacae idololatriae in hac gente, postquam inde egressa erat, remansisse: cum & quaedam huius hinc inde se offerunt vestigia, nec obscure id innuatur, *Ios. XXIV. 14. 15.* Deprehendimus tamen & aliarum gentium idola culta fuisse ab Ebraeis. Num ideo statim ab istis gentibus originem ducunt? Ut idololatriae contagio inficeretur gens aliqua, suffiebat, ut apud aliam gentem, idola colentem, per aliquod temporis spatium degeret, cum non temere deessent rationes, quae ut mores perversos, aliarumque gentium stultitiam imitarentur, suaderent. Sed causae ipse suae diffidens TOLANDVS, rationes, cumulat, an numero earum forte impetrare possit, quod pondere, atque robore suo efficere, nequeunt. Ordine namque militari, ait, processisse ex Aegypto Ebraeos, altero eos a tergo in-

b 2

se.



sequente exercitu : hinc finitimas gentes non potuisse non in eam induci opinionem , seditionem aliquam in Aegypto exortam, bellumque axatfisse ciuile. Scilicet, de eo nobis laborandum est, quid finitimae gentes existimare potuerint ! Cur vero non rectora edoceri, si, quod fieri facile potuit, ex Aegypto quidam ad eas peruenerint, veram rerum gestarum seriem exposituri ? Et quid nostra tandem refert, quid finitimae gentes crediderint, qui diuinitus rem omnem fumus edocti. Ad origines enim uero Iudaicas, ab iniquis & maleuolis TOLANDI criminationibus asserendas haec sufficiant : quae enim porro adfert, ut euincat, ciuile, aut seruile potius bellum, Israelitis cum Aegyptiis intercessisse, tam frigida sunt & ieiuna, sicut & reliqua omnia, ut cordationibus grauedinem moueant atque tussim. STRABONIS autem dum utitur auctoritate, non modo ausu iniquissimo, diuinarum litterarum fidem illi postponit, sed mentem eius quoque studiose peruertit, ad primam Iudaeorum originem trahens, quae ille de eorum, qui suo tempore erat, statu, pronuntiauerat.

Facestant procul ista commenta, ne gentilibus quidem omnibus credita : quorum nonnulli, ut diximus, propius ad veritatem accessere. Quibus sacri codicis vlla superest veneratio, ut vir sanctis-



ctissimus, Abrahamus ex Semi posteritate iusta se-  
 rie descendens, genti huic originem dederit, non  
 ignorant. Abrahamo vnus Isaacus successit: ad  
 ceteros eius liberos non est deuoluta tantae rei  
 haereditas. Rursus cum ille ex Rebecca gemellos  
 Esauum & Iacobum suscepisset, diuina voluntate  
 hic illi est praelatus, idque multo ante ex oraculo  
 intellexit mater adhuc grauida. Ex Iacobi autem  
 duodecim filiis, ortus est ille populus, quem Isra-  
 elem adpellat sacer spiritus: qui quo pacto in  
 Aegyptum delatus, indeque iterum, cum durissi-  
 mam seruitutem illi imposuissent Agyptii, non si-  
 ne Numinis auxilio egressus sit, terram patribus  
 promissam occupaturus, superuacaneum esset e-  
 narrare, cum ex diuinis litteris tam hospitem ne-  
 mo retulerit animum, qui hoc ignoret. Genti-  
 lium vero, plus fidei si quis adhibendum hic cen-  
 seat, quam domesticis rerum Ebraearum scripto-  
 ribus, quam viris extra omnem erroris suspicio-  
 nem positis, eum sui quidem instituti grauissimas  
 adferre oportet rationes. Multa alia mentitos es-  
 se Scriptores gentilium, & falsa pro veris, certa  
 pro incertis tradidisse, constat: vnde tanta ergo  
 eis auctoritas, ut certiora credenda sint, quae de lu-  
 daeis referunt, eis, quae de iisdem habent diuina-  
 rum litterarum monumenta?

b 3

Quam



Quam vero exploratae illis fuerint, res  
Iudaeorum, cum aliunde palam est, tum ipse  
de origine eorum dissensus luculenter testatur.  
Quod si inter se conferantur, qui res Iudaeorum  
attigerunt, longe propius ad rei veritatem acce-  
dunt, quae ex TROGO POMPEO habet IUSTINVS,  
\* quam quae DIODORVS SICVLVS, STRABO, TA-  
CITVS, PLVTARCHVS, PETRONIVS, IUVENALIS,  
aliique referunt: & nihiloscivus, recte AVGVSTI-  
NVS pronuntiat, POMPEIVM pariter ac IUSTINVM,  
\*\* *quaedam fuisse mentitos*, idque alias fideliores  
litteras ostendere. TACITVM, quem haud medio-  
crem diligentiam in originibus Ebraeae gentis in-  
uestigandis collocasse, res ipsa docet, TERTVLLIA-  
NVS \*\*\* in historia Iudaeorum, *mendaciorum lo-  
quacissimum* adpellat. Et ita res omnino se ha-  
bet. De reliquis itaque quid censendum, periti  
rerum harum existimatores facile intelligunt: prae-  
sertim cum & in aliis horum omnium sibi vbique  
non constet fides. Vt vero speciatim de Iudaeis  
tam vana, inepta, aperte falsa traderent ethnici  
scriptores, ex pluribus contingere potuit causis, ut  
eruditus viris iam pridem observatum est. \*\*\*\* Par-  
tim

\* *histor. lib. XXXVI. cap. II.* \*\* *de Civ. Dei, lib. IV. cap. VI.*  
\*\*\* *Apolog. cap. XIII.* \*\*\*\* *conf. 10. HENRICI BOE-  
CLERII annot. ad Tacit. hist. lib. V. p. 164.*



tim enim corruptam traditionis negligentia aut errore veritatem alio detorquebant, partim rarioribus cum ea gente commerciis, auditionibus solis & rumoribus acquiescebant, partim odio Iudaeorum, vltro materiam calumniandi fingeant, aut oblatam lubenti arripiebant animo, & sub splendida historiae specie, inimici animi tegebant libidinem. Quod si studium diligentiamque, quam debebant, animumque veritatis amantem, in Iudaeorum rebus inuestigandis, attulissent secum, potuissent haud dubio veriora certioraque de iis tradere.

Ex Abrahami progenie ortos Iudaeos, ipsis haud incognitum fuit Spartatis, vt Arius Rex illorum in litteris ad Oniam sacerdotem summum testatus est, si vera sunt, quae auctor libri primi Maccabaeorum \* memoriae prodidit: quamuis idem FLAVIUS IOSEPHVS \*\* confirmet, vnde haec de re dubitare, nefas nonnulli putant: aliter tamen sentiente doctissimo viro SAMVELE BOCHARTO. \*\*\* Quod si res ipsa sibi constet, non est vt horum scriptorum hic sollicitemus fidem. Lubrica & admodum incerta mihi visa sunt, quae magni quidam nominis viri de Pelasgis commenti sunt,

vt ad

\* cap. XII. 19. sqq. \*\* Antiquit. Iudicar. lib. XII. cap. V. & lib. XIII. cap. IX. \*\*\* Canaan. lib. I. cap. XXII.



vt ad communis stirpis auctorem Abrahamum, Lacedaemonios aequae ac Ebraeos referrent. Pelasgos enim ab Abrahamo originem ducere, sine villo, cui certo quis inniti queat, fundamento asseritur. Maiori itaque si non veritatis, certe probabilitatis specie se commendant, quae STEPHANVS MORINVS \*, vir exquisite doctus, attulit in medium, ab Idumaeis prognatos esse Spartanos, & hinc eorum cum Ebraeis repetendam cognationem. Quod tanto edisserit reconditae eruditionis adparatu, vt, quin multos in consensum pertracturus sit, nullus fere dubitem. Sed nobis perinde tandem est, quid quisque hac de re sentiat, cum Ebraeae gentis sibi satis origo constet.

Quod si dubium alicui hac de re superfit; nemo ad illud tollendum, & cum origine, omnes gentis antiquitates, ritus, & quidquid memorabile habet, edisserendum aptior erit, quam qui haecce commentandi nobis occasionem dedit, & cum potestate docendi linguam antiquitatesque Ebraeae gentis, munus sacras litteras sapientiamque diuinam, quam theologiam vocamus, interpretandi, a SERENISSIMIS & CLEMENTISSIMIS  
acade-

---

\* in dissertationibus duabus de cognatione Lacedaemon. & Ebraeorum cum aliis eiusdem auctoris dissertationibus, Dor-  
draci anno M D CC. reculis.



academiae nostrae NVTRITORIBVS coniungere  
iussus, ideoque & suo merito insignibus, tituloque  
DOCTORIS THEOLOGIAE, ornandus est. Is est  
vir maxime reuerendus, amplissimus, excellentis-  
simusque, & ob eruditionem singularem, per or-  
bem litterarum vniuersum longe celeberrimus

**IO. ANDREAS DANZIVS**

cuius vitae rationem, ordinemque studiorum, hic  
legisse, poenitebit neminem. Lucem is primum  
adspexit anno redempti orbis MDCCLIV. Kalendis  
Februarii, Sundhusae, qui agri Gothani pagus est.  
Parentes diuino munere illi obrigere honestate, vi-  
taeque probitate, commendabiles: pater quidem  
SEBASTIANVS DANZ liberi fundi, qui ibidem est,  
vulgo *der freye Siedelhoff*, cohaeres, mater ANNA  
MAGDALENA, IOANNIS GNVGENI, Pastoris Hör-  
selauientis, & VValtershusani Adiuncti, filia. In-  
genium disciplinarum capax, & diuini Numinis  
consilio, maioribus destinatum, in tenera iam se  
exerebat aetate: vnde serenissimi principis FRIDE-  
RICI, ERNESTI pii filii, auctoritate, littera-  
rum se consecrare studiis iussus est, eodem princi-  
pe benignissimo, sumptus necessarios liberaliter  
suppeditaturo. Ludo hinc litterario, qui Frideri-  
cirhodae est, commissus, prima feliciter sub IO. MI-  
CHAEL SALZMANNO, dignissimo scholae istius



Rectore, litterarum, quibus formari ad altiora te-  
 nera aetas solet, iecit fundamenta: exactis que ibi-  
 dem tribus supra triennium, mensibus, dignus exi-  
 stimatus fuit, qui in illustre, quod Gothae floret,  
 gymnasium transferretur. Huc anno MDC LXVIII.  
 delatus, ab ANDREA RETHERO, Rectore, de scholasti-  
 ca pube multis nominibus praeclare merito, clas-  
 si secundae adscriptus est, mox anno elapso, ad  
 primam classem promouendus, & hinc ex ea,  
 quam selectam vocant, anno MDC LXXIII. dimitten-  
 dus, ut quam feliciter coeperat, in academiis per-  
 xeret studiorum telam. Placuit prae reliquis VVitte-  
 berga, in qua magnus doctorum se ei obtulit nume-  
 rus, quorum in omni scientiarum genere, vteretur in-  
 stitutione. Siue enim philosophica, siue historica cu-  
 peret, aut ea quae humaniorum litterarum ambitu  
 comprehenduntur, praesto erant M. NICOLAVS PASCHA,  
 philosophico adscriptus ordini, CHRISTIANVS DONA-  
 TI, extraordinarius tum, deinde & ordinarius Logi-  
 ces & Metaphysices Professor, tum GEORGIVS CASPARVS  
 RIRCHMAYERVS, & illud quondam Germaniae nostrae  
 ornamentum, CONRADVS SAMVEL SCHVRZFLEISCHIVS.  
 Nec defuerunt, qui sacrarum linguarum notitiam  
 instillarent, ad quam tum naturae quodam impe-  
 tu, tum & Serenissimi Ducis ERNESTI voluntate ac  
 destinatione, incitatus, magno ferebatur animi ar-  
 dore.



dore. Clarissimorum itaque virorum GEO. FRIDE-  
 RICHI MAGNI atque IO. VVILHELM. HILLIGERI, quorum  
 ille, quae Augustae Vindelicorum floret scholae,  
 deinceps praefectus est, diligenter frequentauit prae-  
 lectiones: MOX ANDREAM SENNERTVM, non vno nomi-  
 ne de his litteris praeclare meritum, & tandem  
 THEODORVM DASSOVIVM, tunc extraordinarium, dein-  
 de ordinarium in eadem academia linguarum  
 orientalium Professorem, tandem Theologum Ki-  
 lonensem, qui reliquos magno post se interuallo  
 reliquit, adiit, & ei se adiunxit, & per aliquot  
 annos ab eius ore perpendit. Hisce linguarum,  
 antiquitatisque sacrae thesauris, dum animum re-  
 plet, theologiae, cui se consecrauerat, neuiquam  
 intermisit tractationem, oblata praecipue tanta in  
 ista academia ad eam colendam, oportunitate.  
 ABRAHAMVS namque CALOVIVS, IOANNES MEISNERVS, &  
 IO. ANDR. QVENSTEDIVS eam tum illustrabant prae-  
 reliquis, quibus MICHAEL VVALTHERVS addendus, ma-  
 theseos quidem tum professor, mox autem itidem  
 Theologorum ordini associandus, viri utique, quo-  
 rum iam pridem immortalitati consecrata sunt no-  
 mina. Horum omnium, auide hausit dogmata,  
 siue theologiam positiuam acroamaticam, ad du-  
 ctum IO. KÖNIGH traderent, siue secundum ordinem  
 systematis Quenstediani, tum litteris nondum im-  
 pres-



❧ (o) ❧

pressi, sacram doctrinam explicarent, siue palae-  
stram disputatoriam instruerent & aperirent, in qua  
ipse cum commilitonibus, ingenii vires periclitare-  
tur. Eodem tempore extra ordinem in eadem aca-  
demia theologiam docebat SAMVEL POMARIUS, anti-  
stes mox ecclesiae Lubecensis constituendus, & pri-  
uatim B. IO. HIMMELII nostri, explicabat syntagma  
theologicum, publicis autem praelectionibus lu-  
dae apostoli epistolam interpretabatur: plurimum  
inde quoque emolumentum capiente, candidato no-  
stro excellentissimo. Rationem faciendi ad popu-  
lum verba in concionibus sacris, illi ostendebant,  
GEORGIUS GREENIVS, atque SAMVEL BENEDICTVS CARPZO-  
VIUS, exercitatissimi in hac arte viri, quos aula de-  
inceps Electoralis Saxonica admirata est, altero  
quidem primum, proximum a primo, altero, in-  
ter concionatores aulicos obtinente locum. Cum-  
que in sacra pariter ac profana eloquentia parum  
proficiant, qui praeceptis exercitationem non iun-  
gunt, ne hac in re sibi defuit noster, vices suas lu-  
bentissime illi demandante M. SCHEERHAVERO, VVit-  
tebergensis ecclesiae diacono. Nefas fuisset, tan-  
tam praemiis promeritis non honestare diligentia-  
am. Magistri itaque philosophiae titulo ac digni-  
tate ornatus fuit a NICOLAO PASCHA, die XII Octobr.  
anno MDCI, XXVI. Quo etiam vt se dignum hono-  
re de-



re demonstraret, alius priuatissima, quam vocant, institutione, impertire coepit, quae didicerat: mox tamen, anno insequenti, ingenti desiderio in orientalium linguarum accuratiori notitia proficiendi, flagrans, relicta VVitteberga, Hamburgum petiit. Eo ESDRAE EZARDI, viri in hoc litterarum genere consummatissimi, singularique prorsus in iis tradendis ac propagandis dexteritate pollentis, eum pertraxit fama: cuius etiam tantam expertus est humanitatem, solertiam, fidem, vt ultra biennium ad eius sedisse pedes, eum nunquam poenituerit. Cumque ne sic quidem insatiabilis discendi cupiditas expleri posset, opera simul vsus est DAVIDIS HIERONTMI, Iudaei, sed christianae religionis sacris imbuti, in libro cabbalistico longe difficillimo *Sobar*, explicando, itemque alterius Iudaei ex Lusitania oriundi, IACOBI FIDANQVAEI, cuius opera studioque ABARBANELIS in prophetas priores commentarius, & SALOMONIS BEN-MELECH, Michlal Iophi, in vniuersam scripturam veteris testamenti, iterum Amstelodami prodit. Auctore deinceps, quem laudauimus, ESDRA EZARDI, Lipsiam se contulit, aliis, quae summo studio collegerat, traditurus: beneuoleque ibidem a IO. BENEDICTO CARPZOVIO, linguarum orientalium tum Professore, postea Theologo Lipsiensi, exceptus, mutato consilio, eo quod diffi-

c 3

cult-




cultates quaedam oborirentur, nec concederentur, iura, quibus frui datum, qui Lipsiae honores in philosophia summos capessunt, VVittebergam rediit. Binis ibi editis, & in publica panegyri masculule propugnatis dissertationibus, quarum altera *Iudaeos proprio iugulabat gladio, in explicatione, cap. LIII. Esaiæ*, altera *Abarbanelis contra Christianos ex hocce Esaiæ capite exceptiones*, profligabat, docendi munus auspicatus, ab instituto iterum dimotus esset, sacri quod Gothæ est tribunalis auctoritate Ienam abire iussus, nisi B. CALOVIVS intercessisset, sub cuius moderamine, contra Socinianos, cum aliis & noster, in aciem, academico more, producebatur. Superiorum tamen nutui refragari, cum religioni sibi duceret, mense Junio M DC LXXX. Ienam nostram felicissimis auspiciis ingressus est, multorum animis, Serenissimi Ducis Saxo-Gothani, FRIDERICI, commendatione iam antea illi, etsi id plane nescienti, conciliatis. Inde etiam factum, vt neutiquam denegarentur, quae concedi iis solent, qui in hac academia Magistri philosophiae titulo condecorantur; sed vt etiam in numerum philosophorum ordini adscriptorum, cooptaretur. Haec incitamento erant, vt magno se porro animo in eas litteras daret, quae tantum decoris & ornamenti illi iam attulerant:  
 haud



haud immemor tamen cui praecipue nomen de-  
 derat, theologia, in qua hic quoque praeceuntes,  
 viamque ad fastigium perueniendi, monstrantes,  
 inuenit, B. FRIDEMANNVM BECHMANNVM, virum do-  
 ctinae vbertate soliditateque, pariter ac vitae inte-  
 gritate conspicuum, & supra laudes nostras posi-  
 tum, & sacrorum antistitem facundissimum  
 GEORGIVM GOEZIVM: illum, in praelectionibus,  
 quibus Augustanam explanauit confessionem,  
 hunc vero in scholis homileticis. Nec pote-  
 rant candidati nostri celeberrimi virtutes deli-  
 tescere diutius, quin fama illarum ad plures di-  
 manaret. Inter superioris Hungariae vrbes inclu-  
 tas, principem facile locum tenet Pofonium, vrbs  
 splendida, & hoc nomine lubentissime nobis com-  
 memoranda, quod ecclesiam nostris sacris addi-  
 ctam, iam diu alat foueatque. Ad hanc regen-  
 dam rite solenniterque vocatus est DANZIVS  
 noster, iis quidem conditionibus, vt diu anceps  
 dubiusque haereret, sequeretur ne, quae ei se offer-  
 re videbantur fata, an certiora nutus diuini docu-  
 menta expectaret. In diuersas quoque ibant sen-  
 tentias, Gothanae aulae proceres: praeualentibus  
 tandem illis, qui ex hisce eum dimitti terris, mi-  
 nime consultum ducebant. Interea dissertationi-  
 bus nonnullis, opinione illa quam omnes de eo  
 con-





conceperant, se dignissimum demonstrat, cum the-  
ologicis Rabbinica coniungit, & in modo dispu-  
tandi Gemarico intimius pernoscendo, opera Iu-  
daei cuiusdam conuersi, ERNESTI CHRISTIANI ZARVOSSI  
vitur. Ita cum alijs quidem omnibus satisfacere-  
ret, non tamen sibi ipsi faciebat satis, incredibili-  
que desiderio Arabica etiam perdiscendi flagrans,  
peregrinas lustrare oras, secum constituit. Anno  
itaque M DC LXXXIII. Iena iterum digressus, circa  
mensis Augusti finem, Giessam Hassorum venit, vi-  
risque, quibus haec academia semper exsplenduit,  
eruditissimis, praecipue DAVIDI CLODIO, & KILIANO  
RVDRAFFIO, aliisque ex Theologorum ordine, inno-  
tuit. Magna quoque eo tempore erat apud cor-  
datos & ingenuos rerum existimatores, fama & ve-  
neratio, PHILIPPI IACOBI SPENERI, viri beati, & ve-  
rae agenuinae pietatis promotoris strenui, & inde-  
fessi. Facere itaque non potuit, quin & hunc Fran-  
cofurti salutaret, eiusque videret ipse instituta, ad  
excitandam, fouendamque christianae vitae pra-  
xin, comparata. In Belgium tendens, Coloniae  
Agrippinae aliquantisper substitit, Pontificiorum  
Doctorum exploraturus placita: quamobrem eo-  
rum interfuit praelectionibus: quod, quo minus  
ex voto continuaret, tumultus plebis subito ea in  
ciuitate exortus, effecit: quo consopito, abeundi-  
que



que facultate concessa , iter in Belgium profecutus est. Lugdunum, nobilissimum illud bonarum artium emporium, eum primum ad se allexit, vbi in summorum eius aetatis viroꝝ FRIDERICI SPANHEMI, ANTONII HVLSII, STEPHANI LE MOYNE, IACOBI GRONOVII, notitiam venit. Horum cum in aliis studiorum generibus abunde illi satisfaceret eruditio, in orientalibus tamen linguis ampliora cupiens, Ultraiectum se contulit, & cum IO. LEVSDENIO, IO. GEORGIO GRAEVIO, HERMANNO WITSIO, & MELCHIORE LETDECKERO, quos vt ornamenta singularia haec academia ostentabat, familiaritatem contraxit. Voti sui nec ibi damnatus, Amstelodamum ire decrevit, postquam ab ecclesiarum praefectis rogatus aliquoties Roterodami, & Hagae Comitum, semel etiam Lugduni Bataavorum, in sacris concionibus verba ad populum, felici successu fecerat. Amstelodami, ANGELVM DE LA BROSSÉ, gente Gallum, ordini Carmelítico quondam adscriptum, qui Missionarii, quem vocant, apostolici munere per annos septendecim in Persia functus fuerat, offendit; eamque auide ad Persicam linguam, hoc magistro addiscendam, arripuit occasione. Simul & ex Iudaeorum quorundam, eruditionis laude florentium, IOSEPHI ATHIAE, & DAVIDIS DE PINA, quorum vterque ex Lusitania originem ducebat, aliorumque, commercio & colloquiis proficere studebat. Rogatus & hic ab Ecclesiae Lutheranae presbyteris est, vt verba ad populum faceret, quod & lubenti in se suscepisset animo, nisi ortis per quorundam, Germanis non bene cupien-


d

tium,



tium, pastorum, aemulationem, dissidiis, impedimenta  
 quaedam oblata essent, ut minime consultum putaret iis,  
 quibus ipsi volebant, legibus, votis illorum gratificari.  
 In Belgio cum diu satis sibi commoratus videretur, Ro-  
 terodamo, vbi PETRUM IVRIAEVUM, Reformatae ecclesiae  
 theologum, multis nominibus percelebrem, & IO. TEXE-  
 LIVUM, salutauerat, die xvii. Martii anno MDC LXXXIV. sol-  
 uit, in Angliam nauigaturus. Londinum feliciter dela-  
 tus, statim Oxoniam digredi, secum constituerat. Con-  
 tigit autem praeter spem opinionemque, vt M. GERHAR-  
 DVS MARTINI, qui ecclesiae Germanicae, quae Londini est,  
 praeerat, fracto crure, impediretur, quo minus officio  
 suo fungi posset: ideoque ab ecclesiae senioribus roga-  
 tus DANZIVS noster, vt eius in se tantisper susciperet vices,  
 cum illorum refragari precibus religioni sibi duceret, per  
 integrum mensem ibi substitit. Die itaque decimo tan-  
 dem Aprilis Oxoniam venit, statimque senem venera-  
 bilem, & octuaginta quatuor iam annos natum, EDVAR-  
 DVM POCOÏKIVM accessit, eius ductu & auspiciis in Arabi-  
 cae linguae notitia vterius profecturus. Nec spes sua eum  
 destituit: concesso ei quotidie horae, quo illum adiret,  
 spatio. Vt vero Alcoranum sibi praelegeret, impetrare  
 non potuit, obtendente POCOÏKIO, librum esse obscurum,  
 in quo sensum frustra quaeras. Proinde Greg. Abul Pha-  
 rarii historiam dynastiarum, in eius locum substituerunt,  
 quotidie etiam codices quosdam manuscriptos, quibus  
 Pocockiana abundabat bibliotheca, perlustrarunt, Fami-  
 liari-





liariter etiam ibi utebatur doctissimo viro EDVARDO BERN-  
HARDO, qui nouam Iosephi editionem, B. IO. ANDREAE BO-  
SII nostri subsidiis instructus, moliebatur, morte tamen  
praepeditus, quae inceperat, ad finem perducere non po-  
tuit. Honestabat eodem tempore Oxoniensem academi-  
am, proto-bibliothecarii munere fungens THOMAS HTDE;  
Persicae Arabicaeque linguae callentissimus, cuius fru-  
stra expetebat institutionem noster, postquam ille fami-  
liaritatem eius [cum POCOCCIO, & quod tirocinium in his  
linguis iam posuisset, intellexerat. Nimis hic essemus in-  
diligentes, nisi ISAACI ABENDANAE, Iudaei haud incelebris,  
iniceremus mentionem, qui ebraica atque rabbinica  
ibidem docebat, & integram Mischnam in linguam la-  
tinam transtulerat. Is saepius ad candidatum nostrum ac-  
cedebat, libenter, quae sciebat, impertiturus, quod exi-  
guum tamen erat, eo quod libris ad maiora tendentibus,  
necessariis, destitueretur. Illius interea in Anglia etiam in-  
clarefcebat nomen, vt Cantabrigiam euocaretur, iuuenum  
quorundam studiis moderandis, praeficiendus. Id quod  
lubenti accepit animo, Cantabrigiamque se contulit, at  
euentu ob leges, quibus se adstringere minime consul-  
tum putabat, praescriptas, irrito. Dum Cantabrigiae hae-  
ret, RADVLPHO CVDWORTHO, theol. Doctori, & linguae e-  
braicae Professore, HENRICO MORO, IOANNI SPENCERO, ISAACO  
NEWTONO, EDMVNDO CASTELLO, Arabicae linguae Profes-  
sori, Angliae illis luminibus, suo splendore orbem, qua-  
cunque patet, litteratum, illustrantibus, innotuit, suum-



que simul ingenium, diligentiam, eruditionem iis probavit. Interea nuntiabatur illi, Arabem quendam, Damasci natum, Londini degere, ad quem properandum sibi existimavit, ut genuinam, linguam Arabicam pronuntiandi rationem, eo magistro perdisceret. Quod ut obtineret, Arabica cum eo legebat biblia: cum alia ab homine, litterarum ceteroquin rudi, poscere haud poterat. Neve ullam proficiendi oportunitatem praetermitteret, Græcorum etiam, sacra sua Londini celebrantium, conventibus quandoque interfuit, ut ritus illorum ceremoniasque cognosceret. Ex voto cum omnia sibi peregrisse in Anglia videretur, Kalendis Nouembris anni MDCLXXXIV. Londino soluens, traiecto mari, eiusdem mensis die sexto, Lugdunum Batauorum iterum ingressus est. Beneuole eum exceperunt ANTONIVS HVLSIVS, ac FRIDERICVS SPANHEMIVS, auctoresque fuerunt, ut rerum suarum sedem ibi figeret, docendoque aliis impertiret, quae tanta collegerat industria. Cum etiam interea IACOBO TRIGLANDIO, mox ad cathedram theologiam prouehendo, in rabbinicis lucem praetulisset, ab ANTONIO HVLSIO, profectuum dare specimen, & tractatum quendam MOSIS MAIMONIDIS in linguam latinam intra triduum transferre iussus, spem eius & opinionem non impleuit modo, sed superauit. Dignus itaque visus est, cui munus extra ordinem docendi linguas orientales in Lugdunensi academia conferretur: immo deinceps ad ordinariam quorundam suffragiis, destinatus est professionem: euentu tamen



tamen ob quaedam, quae intercedebant obstacula, non respondente, quod Salanae nostrae prouida Numinis eum reseruasset cura. Exeunte hinc Martio mense anni M DC LXXXV. Lugdunum reliquit, reuersurus in patriam, Friscas tamen, Groeningicasque, antea lustraturus academias. Francquerae itaque IACOBVM RHENFERDVM, CAMPEGIVM VITRINGAM, IOAN. VAN DER WATEN, NICOLAVM BLANCARDVM, IACOBVM PERIZONIVM, quem deinceps Lugdunum sibi asseruit, viros doctissimos, vidit, vt eorum etiam mirifice sibi conciliaret animos. Groeningae cum IO. BRAVNIO, theologo & philologo cum paucis comparando, IO. MARCKIO, IACOBO OISELIO, aliisque, quorum per omnium ora fama volitat, collocutus est, dignumque se fauore illorum ac amicitia demonstrauit. Continuatō itinere Breae aliquantisper, atque Hamburgi subsistit: tandemque Helmstadium peruenit, viris eo tempore doctissimis & omnium oculos in se conuertentibus, se efferentem, FRIDERICO VLRICO CALIXTO, GEBHARDO THEODORO MEIEKO, IO. EBERHARDO BYSMANNO, aliisque: quos non tantum salutauit noster, sed praelectionibus quoque eorum, quam diu licuit, interfuit. Dum Hamburgum transibat, ab ANTONIO REISERO, quem inter singularia ornamenta sua vrbs ista reputat, rogatus, feria secunda paschatos verba ad populum fecit, eo cum successu, vt ad *DOMINICANVM* concionem iterum inuitaretur, eligendus si placeret, prae reliquis in diaconum ad aedem D. Nicolai. Quod cum festinatio, cupiditasque iter suum profed

d 3

lquen-



quendi non permetteret, lenam iam delatus, denuo litteras accepit, quibus, ne petitis illorum refragaretur, rogabatur. Intercedebat autem amplissimus in hac academia philosophorum ordo, facileque a SERENISSIMIS academiae NUTRITORIBVS impetrauit, vt professio extraordinaria linguarum orientalium illi demandaretur, volente idem, ac consentiente venerabili sene IO. FRISCHMUTHIO: qui & datus ad eum, cum in Anglia esset, litteris testatus est, se illum praeter reliquis idoneum iudicare, qui litteras hasce in hac academia tractaret, sibi que aliquando succederet. Cum etiam paulo post optimus ille senex, ad beatorum sedes migraret: DANZIVS noster, successor illi datus est. Quanta industriae & eruditionis laude, candidatus noster excellentissimus, hocce munere functus sit, & adhuc fungatur, vt edisseram pluribus, necesse non est, cum nemo in hac litterarum sede sit, quem hoc fugiat. Testantur id discipuli quam plurimi, qui excellenti ebraicarum rerum notitia instructi ex eius schola prodierunt, quorum nonnulli grauissimis muneribus praefecti, grato animo, fidem eius dexteritatemque, quam experti sunt, agnoscunt. Testantur id scripta publica, exquisito studio elaborata, & eruditione solidiori referta. Ea quidem, quibus Grammatices fundamenta in Ebraicis, Chaldaicis, Syriacis, Rabbinicis, neruose & noua plane methodo complexus est, academicae pubis quotidie teruntur manibus, & omnium harum rerum intelligentium, calculo adprobata sunt, quod & iteratae aliquoties testantur editiones.



tionibus. Ex dissertationibus, quarum magnus est numerus, quasdam saltem indicasse sufficiat: *de Krischma Ebraeorum: pro versione Lutheri Gen. IV. 1. contra Raviinum; Kain contra necem praemunitus in Gen. IV. 15. de sacris Iudeorum νομοϕυλακείαις, bis quotidie recitari solitis, disputationes II; de ritu excommunicandi inter Ebraeos; de functione Pontificis M. in adyto anniuersaria, disp. II. pro illustratione Ebr. IX. 7. Vxor maritum repudians secundum leges Ebraeorum, contra Iosephum pro illustrandis verbis Christi Marc. X. 12. & Pauli I. Cor. VII. 10. 11. 12. Alcorani cap. I. & II. Arabice, cum versione latina, calci paginarum subiuncta; animalia esu interdicta ex Actor. X. 12. opera Resp. de baptismo initiationis Ebraeos inter ac gentiles, ad illustrandum eum, qui a Ioanne peractus; theses philologicae XX. varii argumenti, a Resp. conscriptae; de Ebraeorum remilitari ad Deut. XX. & XXI itidem a Resp. confecta; Christi curatio sabbathica, ex legibus Iudaicis vindicata contra Iudaicas calumnias; Partus virginis miraculosus ex Es. VII. 14. Origo talionis ad mentem gentiliu[m], iudaeorum, & christianorum examinata, ad Matth. V. 38. 39.; Iura nouilunii initiandi e Maimonide; pro Luthero ex acrimonia stili reprehensio; de κρησφαιρία Antidiluvianorum pro explicandis locis Gen. I. 20. IX. 3; in quibustamen tribus vltimis Respondentium itidem emicat opera; de necessitate linguae ebraeae, cuius ecclesiae doctori discendae, in praefatione Synopsi interpretis Ebraeo-Chaldaei praemissa; sciagraphia fundamentorum*



torum pro lectione Schemhamphorasch per Iehouah; item de significatione nominis diuini מְשִׁיחַ & etymologia nominis proprii Saluatoris מָשִׁיחַ cum explicatione loci Irenaei lib. II. cap. XIV. de voce IESV, quem credere inexplicabilem. Tanto vero eruditi orbis adplausu excepta sunt Danziana ista scripta, vt quaedam eius dissertationes, thesauro philologico-theologico dissertationum elegantiorum, ad selecta loca veteris & noui testamenti, qui Amstaelodami anno M D CCI. lucem adspexit, selectu tamen auctori parum probato, infertae legantur. Plurima quoque iam elaborata dignissimaque quae lucem adspiciant, in scriniis seruat, inque his commentarium in Matthaecum, epistolam Pauli ad Romanos, & priorem Petri, in quibus ex Ebraeorum antiquitatibus locis adfundit lucem obscurioribus: praelectiones item publicas in Etsaiæ nouem capita priora, in Hoseam, Ioelem, Malachiam, & priora capita Amosi, aliaque. Tot igitur, tamque praeclara cum essent Maxime Reuerendi Candidati nostri, in rem litterariam, ecclesiasticam, & hanc academiam nostram merita, visum est SERENISSIMIS academiae nostrae NVTRITORIBVS, DOMINIS NOSTRIS CLEMENTISSIMIS, munus docendi extra ordinem theologiam eidem conferre: quo vt tanto rectius fungatur, DOCTORIS quoque THEOLOGICI nomine tituloque, more in academiis recepto, condecorandus est. Quod licet sine vllis, quae caeteroquin requiri solent, fieri poterat speciminibus, cum formauerit ipse iam pridem & ad diuinam sapientiam erudiuerit, qui scholis aut ecclesiis magna cum laude praesunt: né tamen quidquam quod aut legibus, aut receptae repugnare videatur consuetudini, admittere temere videretur, publicis aliquot praelectionibus, in I. Cor. X. 2. die xxvii. & xxviii. Ianuar. hora x. ad xi. instituendis, & solenni, pro antiquitate baptismi initiationis iudaei vindicanda disputatione, dignissimum se hoc munere, nomine & titulo demonstrare voluit. Quibus vt praesentes adsint, Pro-Rector academiae Magnificus, vt & Pro-Rector Magnificus designatus, Proceres reliqui omnium ordinum excellentissimi, fauentes, quae aures praebent, id quidem est, quod officiosè & amanter, eos rogo. Iuuenes autem florentissimi, qui nostram ornant academiam, pro singulari, vt credo, reputabunt beneficio, ex publicis huius excellentissimi Doctoris, quem & multi vt praeceptorem venerantur, laboribus, fructum retulisse haud spernendum.

P. P. DIE XXVI. IANUAR. M D CC X.

(L. S.)











00 A 6294

V. 3. 77

Retro


M. 55.











ORDINIS THEOLOGICI IN ACADEMIA  
IENENSI DECANVS  
**IOAN. FRANCISCVS BVDDEVS**  
THEOL. D. ET P. P. O.

AD  
LECTIONES CURSORIAS, QVAS VOCANT,  
ET DISPUTATIONEM INAUGURALEM  
MAXIME REVERENDI, AMPLISSIMI ATQVE  
EXCELLENTISSIMI

VIRI  
**IO. ANDREAE DANZII,**

SS. THEOL. IN HAC ACADEMIA EXTRAORDINARIJ,  
ET LINGVARVM ORIENTALIVM ORDINARIJ  
PROFESSORIS, LONGE CELEBERRIMI, FACVL-  
TATISQVE PHILOSOPHICAE SENIORIS GRA-

VISSIMI  
THEOLOGIAE, BONARVMQVE ARTIVM PATRONOS  
ATQVE CVLTORES  
EA, QVA DECET, OBSERVANTIA ATQVE HVMANITATE  
INVITAT.

---

I E N A E  
LITTERIS IO. ADOLPH. MULLERI.

